N. 2509.

CURRENDA XIV.

A. D. 1860.

N. praes. 119.

Epistola Eminentissimi Nuntii Apostolici Vien. et Breve Pontificium de alienatione, onerationeve bonorum Esiae pro Imperio Austriae.

„Illustrissime et Reverendissime Domine!

Pontificium Breve, de alienatione Bonorum Ecclesiasticorum in Imperio Austriaco novissime editum Dominationi Vestræ Reverendissimae transmittere officio et honori mihi duco. Inde luculentissime patet, quam benigne Sanctissimus Pater venerabilium Episcoporum obsecundare votis, quam prudenter et sollicite bona et jura Ecclesiæ sarta tecta servare, et quam studiose concordiam inter utramque potestatem, ecclesiasticam nempe et civilem, per solemnem Conventionem feliciter initam fovere et provehere exoptet.

Devotissimi animi mei sensus hac occasione iterum profiteor et fausta quaeque a Deo Opt. Max. adprecor.

Dominationis Vestrae Illmae et Reverendissimae addictissimus famulus t. Ant. Archiepus Tarsensis N. Ap."

„PIUS PP. IX.

Ad futuram Rei memoriam. De majori Ecclesiae utilitate pro Apostolici muneris officio solliciti Praedecessores Nostri Romani Pontifices ita supremam in Ecclesiam ipsam potestatem sibi divinitus delatam exercuerunt, ut extraordinarias facultates Sacris Antistitibus pro re, ac tempore impertirentur, quoties id in Domino expedire judicarent. Jamvero in Conventione nuper inita super Ecclesiasticis negotiis cum Carissimo in Christo Filio Nostro Austriae Imperatore, attentis certis causis, et nonnullis adjectis conditionibus, statutum est in Articulo XXX. ut bona scilicet Ecclesiastica vendi, vel notabili gravari onere non possint, nisi tum Sancta Sedes, tum Majestas Sua Caesarea, aut ii, quibus demandatum fuerit, consensum tribuerint. Quapropter ut nonnullis in casibus Sanctae hujus Sedis facilius intercedat auctoritas, per Apostolicum Nuntium apud Imperialem Aulam Vindobonensem pro tempore existentem, vel ejus vices exercentem ad præfinitum temporis spatium necessarias ad hoc Sacris Antistitibus facultates concedendas existimavimus. Nos igitur, rebus mature perpensis Apostolicae Sedis Nuntio, qui apud Aulam Imperialem Vindobonensem pro tempore existat, vel ei, qui Nuntii ipsius vices pro tempore gerat, nec non Archiepiscopis, Episcopis, et Praesulibus Nullius, ut vocant, Dioecesis, qui in universa, quam late patet, Austriaci Imperatoris Ditione continentur, iis tamen exceptis, qui in Provinciis Italicis existunt, nec non Episcopo Wratislaviensi pro parte Dioecesis, quae in Imperio Austriaco continetur, potestatem facimus ad *decennium* dumtaxat a datis hisce Litteris computandum concedendi facultates sequentibus ar-

ticulis comprehensas. I. Archiepiscopis nimirum alienandi bona ecclesiastica usque ad summam Florenorum *octo millium* monetae Austriacae. Episcopis vero, ac Praelatis Nullius Dioecesis usque ad summam Florenorum *sex millium* ejusdem monetae, sive stabilia ea bona sint, sive in publicis nominibus consistant, adjecta tamen conditione, ut pretium ex alienatione perceptum in aliorum bonorum stabilium, seu Censuum acquisitionem convertatur, iisque deficientibus pretium ipsum alia ratione fructuose, ac secure collocetur; exclusa qualibet negotiatione ex Sacrorum Canonum Sanctione Ecclesiasticis viris interdicta. II. Archiepiscopis impertiendi facultatem imponendi bonis ecclesiasticis onera, quae non excedant summam Florenorum *quindecim millium.* Episcopis vero, et Praelatis Nullius Dioecesis eamdem impertiendi facultatem, dummodo onera non excedant summam Florenorum *duodecim millium*, rationem tamen, ac terminum praefiniendo, quo aes alienum a causa pia contractum dissolvatur. Quod si necessariæ instaurationes, ac melioramenta in aliquo ecclesiastico fundo occurrant, neque aes alienum contrahi queat, et non nisi per alicujus boni ecclesiastici venditionem necessitati provideri possit, hoc in casu concedendi facultatem venditionem perficiendi, cum conditione, ut si ex pretio percepto pars aliqua supersit, eadem fructuose collocetur rationibus superius expositis. Porro quum ex Jure Canonico in Capite *Terrulas* facultas detur fundos exigui valoris alienandi, cui quidem juris regulae nihil per has Litteras volumus innovatum, licet in eodem Capite onerum exiguorum impositio minime comprehendatur, ex peculiaribus tamen rationibus animum Nostrum moventibus, et ex singulari concessione in exemplum minime adducenda, facultatem impertimur imponendi ecclesiasticis bonis onera, quae tamen summam Florenorum *mille* non exsuperent. Hujusmodi vero tam in praesenti, quam in superiori articulo descriptas facultates minime complecti volumus bona ad Mensas Archiepiscoporum, Episcoporum, atque Antistitum Nullius Dioecesis pertinentia. Quapropter quum de bonis iisdem agendum erit in casibus superius descriptis Suffraganei Episcopi propriis respective Archiepiscopis, Archiepiscopi autem, et Episcopus Wratislaviensis Nobis, et Sanctae Sedi immediate subjectus, nec non Praelati Nullius Dioecesis preces deferent ad Nuntium Apostolicum, cui idcirco, quemadmodum Archiepiscopis, potestatem facimus petitam impertiendi facultatem, si in Domino expedire existimaverint. III. Firmis manentibus ordinariis facultatibus Episcoporum, et causarum piarum pro ineundis locationibus, et conductionibus ad *Triennium*, concedendi facultatem locationes ipsas, et conductiones ineundi ad *quindecim annos*, servatis in reliquis Canonicis praescriptionibus. Ad vitandos autem abusus nonnullos, et obsecundandum aliqua ratione consuetudini, quae in Austriaco Imperio invaluit, ut bonorum Ecclesiasticorum *possessores* a respectivis Conductoribus *reditus*, seu *praestationes* in *antecessum* accipiant, facultatem impertiendi reditus ipsos, seu praestationes percipiendi in antecessum, ita tamen, ut illae quoad fundos *urbanos* non excedant summam, quae in *semestri* spatio a Conductore debeatur; quod vero spectat ad bona *rustica*, dummodo summam non praetergrediantur, quae per *Anni spatium* a Conductore sit persolvenda. IV. In casibus urgentis necessitatis, atque utilitatis piae causae in quibus ad alienationem, vel oneris impositionem sine mora deveniendum sit, facultatem largiendi absque praefinita pecuniæ summa alienationem perficiendi, vel aes alienum contrahendi, et tamen adjecta conditione, ut in posterum ea de re sive ad Nuntium Apostolicum, sive directe ad Sanctam Sedem singil-

latim, accurateque referatur. In casibus vero modo expressis quum agatur de bonis ad Mensas spectantibus Archiepiscoporum, Episcoporum, atque Antistitum Nullius Dioecesis Suffraganei Episcopi preces deferent suis respective Archiepiscopis, Archiepiscopi autem, Episcopus Wratislaviensis Apostolicae Sedis immediate subjectus, et Praelati Nullius Dioecesis postulata deferent ad Nuntium Apostolicum; quem in finem tum eidem Nuntio, tum Archiepiscopis potestatem facimus petitam facultatem concedendi, si in Domino judicaverint expedire. Hoc ipsum pariter fieri volumus in casibus, in quibus non urgeat necessitas et quando agatur de alienationibus, sive oneribus praescriptas superius summas excedentibus. Verumtamen in omnibus, et singulis casibus integram esse volumus facultatem postulationes ad Sanctam Sedem directe deferendi. Volumus praeterea, ut in hujusmodi concessionibus canonicae praescriptiones accurate serventur, et praesertim Constitutio fel: mem: Pauli II. Praedecessoris Nostri, quae incipit *Cum in omnibus* edita die XI. Maji Anno 1465. ac proinde in omnibus, et singulis facultatibus ab Apostolico Nuntio sive per se immediate exercendis, sive Sacris Antistitibus, ut supra statutum est, deferendis volumus, ac mandamus, ut pateat, ac probata sit piae causae necessitas, vel utilitas; quem in finem in singulis casibus tum personae ad quas intersit, tum honesti nominis, et probati judicii viri antea consulantur. Jubemus denique ut in omnibus, et singulis actis venditionis, sive alienationis, atque etiam locationis ad quindecim annos mentio expresse fiat facultatis ab Apostolica Sede concessae. Haec volumus, et concedimus, non obstantibus fel: rec: Pauli II., et aliorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque Constitutionibus, speciali licet mentione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die III. Aprilis M. M. CCCLX. Pontificatus Nostri Anno Decimo Quarto.

(L. S.) *Pro Dno Cardli* **Macchi.**

Jo. B. Brancaleoni Castellani Substitus."

Tenorem praemissorum totum pro notitia; respectivum vero sub III et IV. &c. pro stricta observantia Venerabili Clero communicamus, in Domino obsecrantes, ne quidquam suppellectilis, rerum, agrorum, jurium ad peculium Ecclesiæ aut beneficii spectantium sine scitu et consensu Nostro commodetur, transmutetur, exarhendetur, eo minus alienetur; nec quidquam antiquitatum sive Ecclesiæ utensilium conservandorum sine relatione ad Nos destruatur, transmutetur, nec pictura ecclesiæ aut imaginum alicujus momenti vetustarum aut renovatio pictoribus inferioris sortis committatur... ne Capitalia ecclesiæ reticeantur; nec erectio Litterarum fnndat. negligatur; eo minus incuria sive tenacitate casulæ, pluvialia, linteamina ecclesiæ, aut tecta varia desolentur, imo ut reparentur, aut novis resarciantur, novis augeantur, atq. hunc in modum Sponsa Xti, quæ bonis suis nos reficit, quosdam revera saginat, reciproca cohonestetur munificentia; nec unus inveniatur, qui Sibi aut aliis saepe indignis totum, Sponsae Xti vix parum aut nihil largiatur.

Haec interim sunto, donec ab Exc. Regimine obtineamus tenorem alti Decreti Ministerialis de 20. Jun. a. c. ratione alienationis, exarhendationis &c. bonorum eccles. emissi.

E Praesidio Eppali. Tarnoviae Festo Transfigurationis D. N. J. C. 1860.

N. 1931.

Normale circa abbreviationem vinculationis, transformationis, syngrapharum publicarum pro Ecclesiis....

Quoniam syngraphæ publicæ rarissime in contextu originem, aut summas partiales (Theilbeträge) quibus summa syngraphæ hujus illiusve composita est, adducunt, et idcirco obligationes summis respectivis non raro inhærentes in oblivionem, utique non cum exiguo pro animabus fundatorum, imo et resp. Parochis detrimento abiere: sæpe sæpius detecta per Nos origine aut conglomeratione quæstionis, Venerabili Clero commendabamus, ut ad calcem syngrapharum ejusmodi interiorem, pro evitanda in posterum confusione aut iterata oblivione, paucis verbis originem, capitaliaq. congesta exprimerent. Venerabilem Clerum majori ex parte Ordinationi Nostræ obtemperasse, Perillnstres vero Decanos executioni huic nefors alicubi adhuc neglectæ invigilaturos, lubenter supponimus.

Similis ast uberior adnotatio ex parte Alti Regiminis C. R. Cassæ debitorum universali juxta tenorem Decreti Ministerialis Cultus infra impressum, syngraphis.... applicanda, demandata erat, quæ attamen eodem Decreto ad imminuendum laborem vastum brevior conceditur... verum Parochis, aut aliis ad hoc deputatis adscriptio in tergo syngrapharum post vinculationem &c. imponitur eorum, quæ præprimis conglomerationem &c. concernunt. Pro majori hujus negotii illustratione et omnimoda executione tenorem prælaudati Decreti heic imprimendum curamus, quem Exc. Regimen Cracov. Indorsato de 25. Maji 1860, N. 12036 Nobis pro ulteriori Dispositione communicaverat. E sess. 14. Jun. 1860.

„Abschrift eines Erlaßes des h. k. k. Ministeriums für Kultus und Unterricht ddto 6. April 1860 Z. 3375|1037 z. L. R. Z. 12036.

Eine nicht unbedeutende Arbeitslast erwuchs der k. k. Universal-Staatsschuldenkasse dadurch, daß bei Vinkulirungen, Umschreibungen u. s. w. von Obligationen, insbesondere solchen, die zur Bedeckung von Stiftungen bei Kirchen, Klöstern u. s. w. dienen, das von den Partheien angegebene Vinkulum nach seiner ganzen Ausdehnung auf der Obligation, dem Kreditsbuche, dem Liquidationsakte und den Umschreibungs-Journalen aufgetragen wurde. Das Vinkulum war oft so umfangreich, daß der Obligation und dem Kreditsbuche, auf welchem der für das Vinkulum offen gelassene Raum selbstverständlich nur eine beschränkte Ausdehnung hat, ganze Bogen zur Aufnahme der Intestirung angeheftet werden mußten.

Die wörtliche Auftragung so umfangreicher Haftungsklauseln erscheint aber in vielen Fällen insbesondere dann nicht gebothen, wenn die zu vinkulirende Obligation zur Dekkung von Stiftungen, die bei einer und derselben Kirche, Pfründe, Abtei u. s. f. bestehen, dienen soll.

Die bestandene vereinigte Hofkanzlei hat im Einverständnisse mit dem Hofkammer-Präsidium bereits mit Dekret vom 26. Oktober 1843, Z. 33757 sämmtlichen Landesstellen bekannt gegeben, daß, wenn an einer auf öffentliche Fonde lautenden Obligation einzelne

Stiftungen, Antheile besitzen, zur Sicherstellung und Evidenzhaltung dieser Stiftungen genüge, wenn auf der Rückseite der Obligation von dem Provinzial-Zalamte der jeder Stiftung gehörige Theilbetrag ersichtlich gemacht wird.

In diesem Sinne hat das Finanzministerium der k. k. Universal Staatsschuldenkasse gestattet, bei Haftungsklauseln, die eine größere Ausdehnung haben, insbesondere von Obligationen, die zur Deckung einer größeren Anzahl von Stiftungen bei einer u. derselben Kirche, Pfründe u. s. f. dienen, eine Abkürzung in der Art anzuwenden, daß das Vinkulum einfach auf die bezügliche Kirche, Abtei u. s. w. für verschiedene Stiftungen zu lauten hat. Die Antheile der einzelnen Stiftungen an den Obligationen können aber unter Fertigung des Pfarrers, des Vogtei- und beziehungsweise Patronatskommissärs, dann der Kirchenväter, auf dem Rücken der Obligation ersichtlich gemacht worden.

Ein solcher Vorgang, der auch seinerzeit bei der Regulirung des geistlichen Stiftungswesens in Nieder-Oesterreich als ein ganz zweckmäßiger erkannt wurde, erscheint um so weniger bedenklich, als die einzelnen Stiftungs-Antheile ohnehin auch durch die Stiftbriefe in Evidenz gehalten werden.

Das Finanz-Ministerium hat daher laut Eröffnung vom 21. Februar d. J. Z. 9189 die Universalstaatsschuldenkasse angewiesen, in allen künftig vorkommenden Fällen die Vinkulirung nicht anders als in der oben angedeuteten Weise vorzunehmen.«

D. u. s.

N. 1691, 1714, 2026, 2156.

Gratiarum actio pro donis in Missionum favorem, et nova commendatio etc.

Ven. Directio Congregationis s. Infantiæ Jesu Vien. sub 14. Maji a. c. et Leopoldinae Vien. sub 15. ejusd. N. 3131, summas rependit gratias pro donis Sibi abhinc e Diœcesi submissis; prior pro 175 Rh. 35. x. posterior pro 200 Rh. commendat se utraq. ulterioribus favoribus, et commemorat de larga benedictione temporali, ac æterna ob preces suffultorum et merita varia. Exc. rursus Regimen Cracov. contestatur sub 6. et 23. Jun. a. c. N. 14603 et 15008 receptionem a Nobis summæ 105 Rh. pro Missione in Centrali Africa, et quotæ 16 Rh. A. V. pro Catholicis inter Turcas in Europa et Oriente.

Hæc quum pro grata deferimus notitia et consolatione non possumus non exprimere laudem et grates Nostras pulsareq. ulterius, quatenus collectiones ultro largæ instituantur, ac Nobis quotæ resp. suo tempore submittantur... ut earum ope Regnum Christi indies magis dilatetur ac numerus cœlitum augeatur, qui ceu *amici ex mammona iniquitatis* effecti, ad thronum gratiæ intercedant efficacitur pro resp. Benefactoribus.

E sess. 27. Jun. 1860.

N, 1709, 1870, 1972

Continuatio de Missis in rem consummandae piscinae S. Stanislai susceptis.

I. E Decanatu *Neo-Sandec.* ab Adm. R. Nic. Głombiński 8 lectae. II. E Dec. *Radomyśl.* nimirum ab A. R. Blasio Swiderski Curato *Borov.* 4 cant. et 3 lectæ. III. E Dec. *Myślenic.* 28 Missæ, videlicet a Ven. Ign. Dziubek, Parocho Lubien. et Zubritski Exp. in Izdebnik per 5. ab A. R. Waluszak, Parocho in Lanckor. 2 ab A. R. Łapiński ... in Pcim 6, a R. Pawlikowski, Coop. in Lubień 10.

His piis Benefactoribus gratias nomine Ven. Conventus PP. Paulinorum Cracov. agentes, ac suffragia Ejus assecurantes, mittimus benedictionem apostolicam, plures alios ad simile pium opus excitaturi.

Nr. 1528.

In Decanatu Myślenicensi accrevere res comparatae, aliae restauratae.

1. In *Jawornik* baldachinum, tria vexilla parva, organum reparatum ac ecclesia S. Stanislai in cœmeterio existens restaurata, Parochus A. R. Stramski comparavit Missale 18 fl. 2. In *Sulkowice* turris ecclesiae lamina tecta. 3. In *Harbutowice* comparatum lustrale 30 fl. et quatuor lampades 28 fl. 4. Ecclesiae *Izdebnicensi* donavit p. m. Stanislaus Antałek, Curatus e Nidek Casulam albi coloris circiter 25 fl. valoris. 5. In *Lanckorona* ecclesia reparata ac duæ albæ comparatae. 6. In *Bieńkówka* agente R. Joanne Korduel Cooperatore datum est stratum lapideum 170 fl. Organarius ejas Jacobus *Kolasiński* comparavit imaginem B. V. Mariæ in altari collaterali 50 fl.; pii parochiani lustrale 70 fl. duas lampades 10 fl. organum vero agente Administratore R. Nalborczyk reparatum. 7. In *Trzebunia* familia Josephi Parszywka comparavit calicem ecclesiaeque donavit. Comparata reliquiaria duo; unum per Cooperatorem R. Kossek; alterum per Curatum A. R. Hanuszowski simultanee cum parochiano. Campanile lamina tectum, ecclesia muro circumdata 760 fl. ac depicta. 8. In *Lubień* procurarunt parochiani quatuor vexilla 40 fl. et Ludovicus Puszyński comparavit 12 candelulla 12 fl. 9. In *Pcim* accrevit baldachinum 40 fl. impensis parochi A. R. Łapiński et parochionorum; tum duo vexilla 15 fl. ecclesia pronunc depingitur.

Summa cum animi voluptate imprimi curamus ejusmodi notitias, attestantes zelum tum resp. Curatorum, tum Parochianorum circa decorem Domus Dei, qui ter optimus maximus zelatoribus hujuscemodi Suam benedictionem elargire, aliosq. eodem zelo inflammare dignetur.

Casus liturgici.

I. Quidam Presbyter longiori tempore peccati mortalis, in quo nunquam celebraret, expers sibi esse videtur, adeoq. non agnoscit necessitatem intra tale tempus confitendi, quid tali consulit Quarti t. 1. n. 1. com aliis?

Dicit: „Audiant omnes D. Augustini monitum in Psl. 99. „*Semper* inquit, *confitere*, *quia semper habes*, *quod confitearis. Difficile enim est in hac vita*, *ut sic homo mundetur*, *ut nil inveniat in se*, *quod confiteatur.*“

II. Presbyter quidam superpelliceo et stola indutus, conspicit confessarium, cui extemplo peccatum suum grave, in quo ad altare accedere haud licet, confessurus est, quæritur, an ita induto ad tribunal poenitentiæ appropinguare concedatur.

Gavantus, Murilius, Quarti &c. notant in hanc rubricam: „Advertendum, ne sacerdos sua peccata confessurus ad Sacramentum poenitentiæ accedat indutus paramentis sacerdotalibus; quod minus decens videtur: siquidem huic actioni, quæ humilitatis et poenitentiæ est, potius habitus humilis et communis congruit, quam pretiosus et sacerdotalis,“ verba Quarti.

III. Utrum Sacerdoti, qui celebrato in peccato mortali Missæ Sacrificio ad tribunal poenitentiae accedit, sufficeret, illud peccatum solummodo confiteri, an quoq. *circumstantiam*, quoties cum eo celebrare ausus et quare statim non confessus sit?

Non sufficeret, nam celebratio Missæ in peccato mortali annexum habet peccatum grande . . . juxta rubricam 2. *de defect. disposit. animæ VIII.* quæ sonat: *Si quis habens copiam confessoris* (Confessarii) *celebrat in peccato mortali*, *graviter peccat*“. . . quoniam juxta effatum Pauli in 1. epistola ad Cor. 11. manducans panem et bibens calicem Domini *indigne: reus* est *corporis et sanguinis* Dni... qui manducat et bibit *indigne*, judicium (damnationem) sibi manducat, non dijudicans corpus Dni, ab cibo quotidiano consueto... Impie, ait S. Hieronymus, egerunt Judæi, perfodientes Dominum, ut sanguis flueret ex ejus latere, temerius agit Sacerdos, qui eundem sanguinem in calice sumit, ac prostituit. Adversus ejusmodi Sacerdotes Dominus coram S. Brigitta conquestus est quodam die, his verbis: Crudelius dilaniant corpus meum, quam Judaei, me crucifigentes. Et juxta Durandum de Rit. l. 2. c. 42. trucidat Sacerdos, qui in peccato mortali Missæ sacrificium litat, quodammodo coram oculis æterni Patris unigenitum filium. Zelo abreptus S. Hieronymus ad Diaconum Sabinianum scripsit hæc verba: „Exsecrande! nonne occuli tui lumine orbati, lingua arrefacta, manus contractae sunt tunc, quando audebas in statu peccati altari appropinguare!“ S. Ligorius l. 6. n. 35. censet, gravissimam esse offensam, quam sacerdos quocumque modo contra Deum committit, quia inter milliones ab Eo ad suum cultum electus et gratiarum plenitudine exornatus est, illum vero, qui *sacrilegam* Missam absolvit, perpetrare *quadruplex peccatum mortale* 1. quia in peccato mortali consecrat, 2. quia in peccato mortali communicat, 3. quia in peccato mortali sacramentum administrat, 4. quia sacramentum indigno, sibimet, administrat.

IV. Utrum sacerdos in se culpam contrahit, præbendo hocce sacramentum aliis, aut portando Sanctissimum in processione, aut benedicendo populum cum ipso in peccato mortali?

Sane, ob irreverentiam sacramenti et ejus contaminationem, indignam dispensationem... S. Liguor. l. 6. n. 35. citat verba S. Thomæ 3. g. 64. a. 6. „Dictum est, conveniens esse, ut sacramentorum ministri sint justi: qui ministri debent Dno conformari secundum illud Levit. 19: *Sancti eritis*, *quoniam ego sanctus sum...* et Eccles. 10: *secundum judicem populi*, *sic et ministri ejus.* Et ideo non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei et Esiae in dispensatione Sacramentorum peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei et contaminationem Sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris (licet Sacramenta secundum se ipsa incontaminabilia sint) consequens est, quod tale peccatum exgenere suo sit mortale.“

V. Quæritur, num Communicans in peccato gravi tot peccata mortalia perpatret, quot communicat fideles seu quot particulas eis dispertit.

Plures defendunt, tot perpetrari peccata mortalia, quotquot communicantes distribuuntur ideo, quod suppeditatio eucharistiæ pro suscipiente actio in se absoluta sit; verum S. Liguor. Communionem etsi plurimis administratam ceu unum actum considerat, adeoque etiam unum peccatum mortale.

VI. Quaedam consors Catholica stante vita mariti accatholici sæpius pro eo stipendium Sacerdoti offert, idem facit mox post ejus obitum, etsi diem supremum in fide hæretica subierit, potestne in utroq. casu stipendium accipi et applicari pro eo?

Casu priori potest, quia ejus ad Castra nostra reditus possibilis est, atq. charitas eum exoptat, adeoq. pro eo qua futuro Catholico, pro ejus conversione ac prosperitate applicare licet; aliter se res habet in posteriori, quia juxta Gregor III. ep. 1. Concil. Lateran. III. Can. 27. Ferraris Miss. Sacrif. „non potest Missa offeri pro defunctis hæreticis et infidelibus"

VII. Alia conjux pro impio marito viro mittit stipendia, idq. facit post mortem ejus licet emendatione non subsecuta, quid utroq. in casu de applicatione tenendum?

Quod in casu primo pro vivo impio applicari possit, nemo inficias ibit; attamen in casu secundo nequit, C. *Pro obeuntibus* (c. 21. c. 13. q. 2,) „Et quamvis omnes peccatis subjaceamus, congruit, ut Sacerdos pro mortuis catholicis memoriam faciat et intercedat: non tamen pro *impiis*, quamvis christiani fuerint, tale quid agere licebit.

VIII. Catholicis ægrotante suo pastore, utrum Missam hæretici, schismatici, excommunicati Ministri religionis audire, vel communionem ab eo accipere licet?

S. Thomas 3. 9. 82. a. 9. dicit: „Hæretici et schismatici et excommunicati sunt per sententiam Esiæ executione potestatis consecrandi privati. Et ideo peccat, quicunq. eorum Missam audit, vel ab eis accipit Sacramenta. Sed non omnes peccatores sunt per sententiam Esiæ executione hujus potestatis privati. Et sic quamvis sint suspensi quantum ad se ex divina sententia, non tamen quantum ad alios ex sententia ecclesiæ. Et ideo usq. ad sententiam Esiæ licet ab eis communionem accipere et eorum Missam audire."

Idem peccatum S. Thomas inurit fidelibus, qui audirent Missam *Concubinarii*.... scribendo: „Quod licet fornicatio non sit gravior caeteris peccatis, tamen ad eam proniores sunt homines, propter carnis concupiscentiam. Et ideo specialiter hoc peccatum sacerdotibus prohibitum est ab Esia, et ne aliquis audiat Missam concubinarii sacerdotis. Sed hoc intelligendum est de notoriis, vel per sententiam, quæ fertur in convictum, vel per confessionem in jure factam, vel per evidentiam facti, quando non potest peccatum aliqua tergiversatione celari."

Josephus Alojsius,
Episcopus Tarnoviensis.

E Consistorio Episcopali,
Tarnoviae, die 14. Augusti 1860.
PAULUS PIKULSKI, Cancellarius.

Typis Anastasii Rusinowski Tarnoviæ.